

Zeitschrift: Mitteilungen der Antiquarischen Gesellschaft in Zürich
Herausgeber: Antiquarische Gesellschaft in Zürich
Band: 12 (1858-1860)
Heft: 6

Artikel: St. Gallische Denkmale aus der karolingischen Zeit
Autor: Dümmler, Ernst
Kapitel: IV: Incipit prologus sequentis operis
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-378768>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 06.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Flore Ruodbertus iuuenale, qui nunc
cor senum gestans senium beatus
ac piis plenus meritis uidere
promereatur.

45 Pacis optata potiens quiete
hostis et diros superans mucrones,
quem furens misit Boreas fugandum
uel perimendum.

Vt trinitatis benedicta uirtus

50 edibus sacris domibusque cunctis
per preces magni Stephani canatur
tempore longo. amen.

IV.

INCIPIT PROLOGVS SEQVENTIS OPERIS.

p. 300

Simplex trine deus, genitor, sate, spiritus alme,
quem trinum simple, quem simplum regula trine
credendum monstrat fideique expostulat ordo,
in quo personę triplant, substantia simplat,
5 da uotum cordi, sermonibus instrue linguam;
cymbala labrorum concede ut recta loquantur,
fac me uelle bonum iusteque implere cupitum;
imbue corda fide, spem dona, confer amorem,
quę tria cui dederis, nil habet hic non prohibitatis.
10 sed quod postremum ponit catalogus horum,
hoc maius reliquis testatur apostolus ¹⁾ esse,
utpote qua cassus non participauerit ullus
caenam, quam ²⁾ nato regi rex fecit opimam
et qua multimodi sceleris commissa ³⁾ teguntur,
15 qua sine ⁴⁾ uel largitor opum, uel passio si quem
insignem reddit, frustratus merce carebit.
astipulatur huic ⁵⁾ Christi sententia ⁶⁾ uerbo,
qua de mandato scribe dans dogmata primo:
si precepti, inquit, magni uis pondera nosse,
20 affectu toto dominum deuotus amato,
uiribus ex cunctis animaue hunc dilige tota.

¹⁾ 1 Cor. 13, 13. ²⁾ Caena. qua H. Luc. 14, 24. ³⁾ 1 Petr. 4, 8. ⁴⁾ 1 Cor. 13, 3. ⁵⁾ huic H. huic verb. Canisius.
⁶⁾ Matth. 22, 37—40.

p. 301

dilige cognatum procurans temet ut ipsum;
iussio quæ compar cognoscitur esse priori;
his in mandatis pendet lex atque prophetae.
25 en ratione dei nihil est, quod sit par amori
et pia uirtutes dilectio possidet omnes.
quid plus? possidet omne bonum possessor amoris,
nec locus est meriti, si deest dilectio cordi.
dicere iamque decet, quod prologus ista figuret,
30 qui nunc claudatur, quia plura loquenda sequuntur.¹⁾

VERSVS WALDRAMMI AD DADONEM EPISCOPVM A SALOMONE EPISCOPO MISSI.

p. 302

Dado pater celebris, speculum, uia, lumen et orbis,
discrete antistes, uenerande²⁾ uicarie Christi,
nauta, gubernator, populorum pastio, pastor,
qui mihi causa manes huiusque occasio scripti,
5 per quem coepit opus, cuius dulcedine ductus
uirtutum species et nomina trina notauī,
cuius amore quidem prefatio iactat³⁾ amorem.
bina parum tangens plus concionabar amore
nec contentus eram semel hoc literare uocamen,
10 crebrius id libuit uinclo constringere uersus;
ut quod mortales aptat iungitque tonanti,
alterutrum societ sincero foedere nosmet.
iunge tuum cor sancte⁴⁾ mihi mentemque sacerdos,
quod cupiam precor ipse uelis, mea concipe uota,
15 corpore si nondum, sensu coeamus in unum.
quamquam si fieret, si spectare ora⁵⁾ potestas
atque⁶⁾ a me facies nebulas tua cara fugaret,⁷⁾
credo quidem, nec uana fides,⁸⁾ cum complice uultu
nos contemplamur, cum mutua famina famur,
20 plurima pars aestus, quæ cor obnubilat intus,
exturbata fugit mentique aurora redibit.⁹⁾
paranthesis ut haec subito surrepserit orsa,
crede meis sensis¹⁰⁾, non hoc incuria gessit,
sed diuisa tui causa est sententia¹¹⁾ frater.
25 namque pedem refero, quæ cepi dicere dico.
si nos omnipotens aliquando acciret in unum,

¹⁾ sequuntur H. ²⁾ antistes presul uenerande H. ³⁾ latat H., iactat verm. Bergk. ⁴⁾ sanctae H. ⁵⁾ si se ta hora H., spectare ora verb. Bergk. ⁶⁾ utque H. ⁷⁾ nach tua zwei Worte ausgekrazt, cara fugaret verm. Bergk. ⁸⁾ Verg. Aen. IV. 12. ⁹⁾ requibit H., resurgit verm. Canisius. ¹⁰⁾ ensis H., sensis Bergk. ¹¹⁾ sentia H.

sepe quod optaui, nunc opto, optauero certe,
dulcius hoc cunctis argenti auriue talentis,
bombice uel gemma, blatis eborique fuisset,
30 ut solareris, uaria est cui causa doloris;
et quę litterulis uirtutum nomina finxi,
edoctus de te possem cognoscere plane,
qualiter alta fides ualeat diuellere montes
atque maris medio pelagique immittere fundo,
35 quid diuina uelit uel quid ¹⁾ dilectio fratris,
qua spe suspensus semper celestia sperem,
casibus in mundi quę me patientia firmet,
libra qua pendam, ueniant si prospera forsan. ²⁾
quisquis tecta sui conciuis uiderit uri,
40 ipse modo simili credat sua posse cremari.
est opus, est, inquam caute perpendere causam,
si domini coniuncta ³⁾ domo primordia sumpsit
litera tau nobis impingens signa salutis,
nec desit fronti quod nos o subtrahat hosti. ⁴⁾
45 linea quem cingunt medium pertransiit urbis
Hierusalem dans signa gementi siue dolenti,
qui gemit atque dolet domino signatus adheret.
sic in monte sedens saluator ⁵⁾ dixerat ipse:
felices, qui nunc lugent, quia gaudia luctum,
50 qui citius transit, post hec eterna sequentur.
Si risus fletu ⁶⁾ mercandus creditur esse,
est nobis flendi nimium concessa facultas.
hinc atque inde ⁷⁾ satis subrepunt aspera nobis,
nec simplex mortis facies nec singula damna,
55 sed sicut sapiens ⁸⁾ seseque sequentia cernens,
contra insensatos orbem pugnare fatetur,
doctor Gregorius ⁹⁾ quod tangit taliter orsus:
corda prius ¹⁰⁾ hominum turbantur, post elementa,
iure igitur restat, nos ut simul omnia cedant,
60 quę male sunt utiis nostris seruire coacta.
iuste pro domino uitatus dimicat orbis,
ut peccando homines, quia se lesere priores,
ulciscens semet contra illos ipse duellet.
celum, lympa, solum necnon et cętera rerum

p. 303

p. 304

1) quod *H.* quid *verb.* *Wattenbach.* 2) fonsan *H.* 3) iuncta *H.* coniuncta *verm.* *Wattenbach* depicta *Canisius.*
4) *Ezech.* 9, 4. 5) *Matth.* 5, 4. *Luc.* 6, 21. 6) flentu *H.* 7) inde *fehlt in H., von Canisius ergänzt.* 8) *Sapient.* 5, 21.
9) *Gregorii Magni homil.* 35 (*opp. ed. Antwerp.* 1615, III. 121) prius corda hominum et post elementa turbantur. 10) pius *H.*

- 65 ordine cum proprio temerata lege recedunt,
pro domino pugnant, qui nos hoc more flagellat.
an non peccatis paganę natio gentis,
que mundus fecit uastans mortalia, uincit?
hostibus ecce, dei qui censebamur amici,
70 tradimur ¹⁾ in predam, Ioseph fera pessima mandit,
Israel allophilus, Iacobos gens ethnica mactat,
ingenuos maledicta choors Chananea triumphat,
libertos olim seruilis factio caedit.
ferre canis pretium templo lex prisca ²⁾ refutat,
75 nunc canis ipse domum Christi spurcissimus intrat,
dat necibus plebem, uulgo res, ignibus edem.
a mensam domini sacram manus impia scindit,
tractat pollutus sanctorum pignera tactus
eclesięque pecus peregre transducit ³⁾ abactum.
80 non miseret patris, nulla est miseratio ⁴⁾ matris,
transfigit natum feritas ante ora parentum, ⁵⁾
nec natam redimit, quod mater funera plangit.
iunior atque senex, lactens puer atque puella
alter in alterius moribundi cęde uolutant.
85 instant Italides spoliatę ciuibus urbes
ac desolati demptis cultoribus agri,
campi cesorum siccatissimis ossibus albet,
iam puto tot uiui ⁶⁾ non sunt, quot ⁷⁾ Marte perempti.
illorum uatis ⁸⁾ dicamus congrue uerbis:
90 ante quidem summa de re statuisset Latinos,
si uellent, fuerat melius non tempore tali
cogere concilium, cum muros obsidet ⁹⁾ hostis.
en quo perduxit miseros discordia ciues.
sepe malum hoc illis, si mens non leua fuisset, ¹⁰⁾
95 intestina loqui populorum proelia possent.
dicunt quippe sues sese mordere solentes,
ad se mordendum dentes excire luporum.
pascua nunc gregibus uix porrigit inclyta tellus,
lasciuire prius de cuius et ubere pauper
100 consueuit, sano dum res stetit integra regno.
nouimus electum uas Christi scribere Paulum, ¹¹⁾
mandere delectat uel si mordere uicissim,
alterutrum uobis ne fors consumptio sitis,

p. 305

¹⁾ tradimus H. ²⁾ Deuter. 23, 18. ³⁾ trasducit H. ⁴⁾ maseratio H. ⁵⁾ Vgl. Vergil. Aen. II. 663. 667. VI. 308.
⁶⁾ uimi H. ⁷⁾ quod H. ⁸⁾ Vergil. Aen. XI. 302—304. ⁹⁾ obsida H. ¹⁰⁾ Verg. Ecl. I. 16. 71. 72. ¹¹⁾ Galat. 5, 15.

- corporis intuitu tunc mentis cernite uisu.
105 claret apostolicus Laurentum sermo ruinis:
inter se primum ciuili lite furentes,
barbarico obiecti soluunt commissa furori.
omne quidem regnum ¹⁾ contra se scismate scissum
destruitur domuique domus superimminet ultro.
110 cælum, terra meant, sed firma hæc famina perstant.
dic frater, dic antistes, dic sancte sacerdos,
si constare nequit regnum per dissona se par,
quæ sint diuisis metuenda pericula nobis.
unanimes habitare domum, psalmista ²⁾ notauit,
115 sed, te Sulpici ³⁾, ne Gallus id audiat, affor,
rari sunt ⁴⁾ nostrum quorum mens tendat in unum;
discordant omnes, præsul, comes atque phalanges,
pugnant inter se conciuēs contribulesque,
urbica turba strepit, machinantur et oppida bellum.
120 quid ni cognatos etiam discordia pungit:
prouocat in Martem frater concurrere fratrem.
infremitat sequiturque animis ignobile uulgus.
omnia legirupis certant mortalia pugnis.
maiores aliis faciunt nil rectius illis,
125 qui defensores patriæ populique fuisse
debebant, aliis constant occasio litis.
nam quorum patres sedabant seditiones,
horum posteritas acuens exaggerat iras.
unius populi cum sit disiectio talis,
130 num sic diuisum ⁵⁾ credis consistere regnum?
reddimus eternas indulgentissime rector
grates Christe tibi meritosque sacramus honores,
quod non, ut meruit, uoluisti perdere mundum;
olim quippe reis deberes sumere poenam,
135 sed nos portando uis ad meliora reuerti,
atque ut poeniteat, quæ quis peccata patrarat.
namque diu, res si qua diu mortalibus ulla est,
uiximus ⁶⁾ atque datum mire transegimus eum.
contigit an umquam uel hoc contingere quisquam
140 audierat? num tale aliquid aut fama susurrat?
ut totidem populi, tam multæ denique gentes,
lustrorum multis tot discurrentibus annis

p. 306

p. 307

¹⁾ *Luc.* 11, 17. ²⁾ *Psalm.* 132, 1. ³⁾ *Sulpicii Seueri dialog.* I. c. 20: tibi Sulpici in aurem loquar, ne Gallus hoc audiat. ⁴⁾ sint *H.* ⁵⁾ diuisum *H.* ⁶⁾ *Verg. Aen.* X. 861. 862.

- immunes regis habuissent tempora pacis?
 Israel una tribus, quam triuit fusca Canopus,
 145 cum post ¹⁾ lacte solum manans et melle teneret,
 undique per girum ducens ex hoste tropheum,
 illos occidens, ast illos censibus urgens,
 postquam diuinę contempsit foedera legis
 irritatque deum manuum per facta suarum,
 150 accidit interdum domino plectente reatum,
 ut rex defuerit, dux illi nemo fuisset.
 nec mora, quos uincens subiecaerat ante tributis ²⁾
 uincitur ex illis, seruiuit et ipsa tributis.
 tunc Ammon, Madian, Moab, Amalechita, Philistim
 155 illius audaces culpa uel crimine fortes
 cedentes cedunt, spoliantes se spoliarent.
 insuper et dextre ³⁾
 fulminat hinc Iudas, Beniamin fortiter instans
 fratribus excisis dum trudit flumina sanguis. ⁴⁾
 160 non mirere pater, si concuciamur acerbis
 litibus et pugnis, si motus ferueat orbis,
 sed mage mira putes, quod non sint funditus ⁵⁾ omnes
 et tribus et populi funesto Marte perempti,
 ah cum non habeant, qui fac uel desine dicat.
 165 regia si turmis esset prelata potestas,
 non adeo temere fluitaret mobilis ordo,
 discola nec tantum struxisset factio cladis,
 nec mala conantes eadem factisque replentes
 premia siue thronum sinerentur adire proborum.
 170 plura quid his dicam? desunt ubicumque regentes,
 disciplina cadit, huic et contraria surgit.
 absque timore quidem nihil esse loquuntur honorem.
 barbaries quęsita domi censuque coacta
 christicolum populis, cum rex mandauerit ⁶⁾ illis,
 175 coetus catholicos, quia rex non dirigit ipsos
 infra tecta capit censumque cruore reposcit.
 principe destituit multo nos tempore languor ⁷⁾
 infantilis adhuc perfungens nomine regis.
 aetas nec pugne est habilis nec legibus apta,
 180 cui deus ⁸⁾ indulget regnis sceptroque potiri,
 sed ⁹⁾ tenerum corpus sereque ad fortia uires ¹⁰⁾

p. 308

¹⁾ pres H. post verm. Wattenbach pes Canisius. ²⁾ tribunis H. tributis verb. Canisius. ³⁾ dextre stirps uulnere Iudam H. verderbt. ⁴⁾ sangis H. ⁵⁾ funditur H. ⁶⁾ madauerit H. ⁷⁾ languos H. ⁸⁾ gens H. ⁹⁾ sed ne H. ¹⁰⁾ Verg. Aen. VIII. 509.

despectum propriis generant et hostibus ausum,
 quam uereor, mi dulce caput, quam sepe reuoluo
 illius ¹⁾ eulogium, qui uae portendere genti,
 185 supra quam iuuenis staret dominatio regis,
 asseruit. quod summa salus auertat ab illa
 gente, salutari quæ fonte renascitur illi,
 qui rex et dominus, qui scitur et esse sacerdos,
 qui nec principium, nec finem percipit ullum,
 190 cuius regna chao precellunt iura diebus.
 si non absurdum cuiquam uel forte molestum
 esset, in hoc sapido ²⁾ uellem sermone morari
 et nouus interpret quiddam merore leuando,
 quod nusquam legi, de me proferre legenti. ³⁾
 195 omnis in antiquum qui credit rite ⁴⁾ dierum,
 subditur haud iuueni talis deuotio regi.
 at uero gentes stulte simulacra colentes,
 cum sibi constituunt alicuius imaginis ikon,
 subdunt se iuueni per inania figmina regi;
 200 regem uae genti ⁵⁾ nouiter sic constituenti.
 nobis per iuuenem ueniat benedictio regem.
 hæc ego commentus scriptis non derogo sacris:
 sit rata, quam sapiens prodit narratio, codex
 exemplum nobis authentica scriptio ⁶⁾ ponit,
 205 monstrans non nimium iuuenili ætate dolendum.
 strenuus annorum Iosias rex fuit octo,
 cum primum regno fungi cepisset auito.
 firmatus uero sensu solidatus et aeuo,
 indeptus plenis maturum robur ab annis,
 210 zelo feruenti studuit seruire tonanti,
 instaurat templum comitque ornatibus ipsum,
 ordinat officium diuinatione dicatum,
 lege monet populum, instigat flere reatum,
 scandala dimouit, lucos excidere iussit,
 215 Dauid iter uadit, domino constanter adhesit.
 en quo profecit, qui pusio regna capescit?
 quis rogo nunc iuueni debet diffidere regi?
 dummodo cuncta regens rex regem dirigat ipse.
 sinceri ⁷⁾ certe Samuel Danihelque prophete ⁸⁾

p. 309

p. 310

1) *Eccles.* 10, 16. 2) *sapidi H.* 3) *legendi H.* 4) *Daniel* 7, 9. *Hinter credit Lucke H.* rite oder corde verm. *Wattenbach.* 5) *u'guenti H.* verderbt. 6) *IV. Reg.* 22, 1; 23, 3—8. 7) *sinceres H.* *syncerus Canisius* *sinceri Wattenbach* 8) *I. Reg.* 3, 1; *Dan.* 13, 45.

p. 311

- 220 essent etatis pueri cum forte minoris,
iudicium senibus decernunt iusque gerontis.
Quedam uerba metu posui, solamine quędam,
ut quem sollicitet formido, spes animaret.
aestus hi tales, quos profert pagina presens
225 turboque commiscens diuersis casibus omnes
ossa mihi siccant, sensum merentis obumbrant.
accidit et crebro stupidus cum talia tracto,
ut sicut nonnus ¹⁾ scripsit felixque sacerdos
Hieronimus noster, sanctus sapiensque magister,
230 interdum proprium fiat mihi nomen oboltum ²⁾
et mens fusa foras ipsum me deserat intus.
tunc postliminio deserta cubilia longo
regrediens uisit proprii noua dogmatis hospes.
quid tu? panis abest, aquae ³⁾ nec pocula presto,
235 nec focus ardet ibi, nec lectus sternitur aegrae,
esurit atque sitit, suffert et nudula frigus.
quid faciat? quo se uertat? quis pauset egenam?
flet, gemit et lacrimat, singultat, mussat et heret.
omnia temptanti compunctio subuenit ipsi,
240 tali suggestu compellans sana dolentem:
nocte fores media tandem pulsantur amici,
si sit dormitum, uox pernix excitet illum,
ut lassus tenero ⁴⁾ recreetur pane uiator.
nec tibi, crede negat, tantum prex sedula poscat ⁵⁾
245 insuper et lympham largus tibi porrigit ultro,
qua quis potata sitiens ⁶⁾ non sitiet ultra. ⁷⁾
hic facit, ut tantum formides frigora, quantum
aut numerum lupo aut torrentia flumina ripas, ⁸⁾
nec petit argentum, pretium nec postulat ullum.
250 qui dare sponte docet, gratis quod poscitur offert.
hec pia mens tristis librans consulta sororis,
mel super atque fauim hunc talem retur amicum
et pulsare fores, aditus iam querere feruet ⁹⁾,
eius et eloquiis aures aperire fruendis.
255 eia age rumpe moras, ¹⁰⁾ delectat pergere dicit,
sed quia ¹¹⁾ non proprio satis est confisa paratu,

p. 312

¹⁾ nonnos *H. Hieronymi epist.* 82 (*Marcellino et Anapsychiae*) ita animus meus ... confusus est, ut iuxta uulgare prouerbum proprium quoque ignorarem uocabulum. ²⁾ obollum *H.* ³⁾ egue *H.*, aquae *verb. Bergk*, aequae *Canisius*. ⁴⁾ terno *H.*, tenero *verb. Wattenbach*. ⁵⁾ *Luc.* 11, 5—8. ⁶⁾ sitie *H.* ⁷⁾ *Ioh.* 4, 13. ⁸⁾ *Verg. Ecl.* VII. 51. 52. ⁹⁾ seruet *H.*, feruet *verb. Wattenbach*. ¹⁰⁾ *Verg. Aen.* IV. 569. ¹¹⁾ sequia *H.*

- astruit ecce palam sese ductoris egenam,
pergere nec quoquam per semet posse fatetur.
ergo uic ignaram sustenta presul alumnam,
260 lapsantique manum ductricem porrige ¹⁾ queso.
teste loquor domino, potis est quem fallere nemo.
quod non pictoris ludo nec more poetę,
fuco fallendi quorum lex traditur uni,
alter habet iuris poesim componere mendis,
265 sed quod uerba notant, illud precordia clamant,
scribit quodque manus, scriptum mens obtinet intus.
questibus internis suffragia querito patris,
pandens quanta premunt, manifestans quanta lacessunt;
ut pondus proprium quem lassans mergit in inum,
270 erectum statuatur, cui standi robur abundat.
celipeta intonuit sancto quod apostolus ore,
de me profiteor: reuera nescius error
obnubit mentem crebro fallitque uidentem.
nonne uidens fallor? cernens et uisibus orbor?
275 Pauli ²⁾ uoce loquor, quid agam non sentio plane,
ignorans operor, quod non intelligo factor.
uerser ut in mundo fragili, nunc utile duco, ³⁾
ut quiddam sedem quod fessum concutit orbem.
cogit et officium me iungi plebibus alium
280 et fratrum propriam curis postponere curam.
at plerumque subit, quę sic intentio dicit:
mundum linque, uaca domino, sectare quietem,
tecum disce habites, inimicas desere lites;
nutat enim mundus fallax et labitur orbis.
285 si tu mundanas uis sustentare ruinas,
inuoluunt rapidis fors te ruinosas ruinis.
nititur in uacuum, qui perdit ad ultima nisum.
ambo saluari si tu mundusque nequitis,
erue uel temet, nam solum euadere refert,
290 quam periisse duos eque discrimina passos.
huc ades antistes, his interponere iudex,
hec est summa quidem, quod cepi scribere pridem:
pontifices, regem quamuis populosque dolerem, ⁴⁾
acrior hec memet semper mea cura remordet.
295 nam me plus egrum, ⁵⁾ quam quemlibet arbitror horum,

p. 313

¹⁾ porrie H. ²⁾ Rom. 7, 15. ³⁾ Phil. 1, 24. ⁴⁾ dolorem H. ⁵⁾ egrum H.

p. 314

uulnera plura gerens medicinas expeto plures.
ocia sectari strepitumque relinquere mundi,
me lex illa monet, laribus quę mentis inheret;
hanc contra pugnat, quę membris indita constat. ¹⁾
300 ei mihi quam duro solet hęc superare triumpho,
captiuans miserum peccati lege ligatum.
inualidę legi sis o patrone fauori,
per te deuincat, per se quę uicta laborat.
et simul ambiguum de binis effice certum,
305 consilium ut sapiens dubitans Susanna capescens
euadat mortem iam libera per Daniele. ²⁾
uis, potes et nosti conseruis auxiliari,
cui pater ³⁾ ille domus peregre frumenta profectus
dispensanda dedit nec gazas condere iussit,
310 ubertim binis quas contulit ipse talentis.
diuide, dispensa, profer, largire, ministra,
quod tibi diuina chorban ⁴⁾ descendit ab aula.
hoc heros mandat, data dans dare dapsilis optat.
quanto plus dederis, tanto plus danda mereris;
315 arca cluit dando, uacuatur et ipsa negando;
qui sua deriuat, soli sibi flumina seruat.
hęc exhortando, non te sunt dicta docendo,
quippe theoreticę quem spiritus imbuit arte,
aruum iam siciens de te desiderat imbres,
320 eloquii pluuias squalentia conplue rura.
disciplina patris mihi sis, compassio matris,
mathite fido presens didascalus esto.

p. 315

Annuat omnipotens, qui cęli sustulit arces,
atque grauem uasto terram sustentat abyssu,
325 ipse tua ut suppar uirtute diutius utar,
uiuere sitque meum, quod te scio uiuere sanum.
funde preces domino pro me, mi frater adoro,
et plebi totę sit prex tua fultio uite.
dum fruor hac uita, uitali uescor et aura,
330 dum sensus sapiunt, dum lingua ac uerba ⁶⁾ manebunt,
te meditor semper, te rumino uoce frequenter,
iugibus et uotis habitare palatia lucis
te tibi me iuncto Ihesum precor ipse; ualetō.
hic in calce rogo claudens hoc uerba ⁷⁾ sigillo,

ORATIO ⁵⁾

1) Rom. 7, 23. 2) Dan. 13, 45. 3) Matth. 25, 14. 4) Marc. 7, 11. 5) OR. am Rande. 6) linguam umbra H. 7) umbra H.

335 ut uinco fidei, quo uos me stringere noui
nostrum Hathonem uestrumque ligetis eodem,
et qualem uobis me corde manere uelitis,
talis ei sitis et plus, quia plura ualeatis.
quos uobis fidos et quos habeatis amicos,
340 ad nostram oro fidem per uos ducantur iidem.
nos uobis equidem ritu faciemus eodem,
nobis concordēs ad uos conuertimur ¹⁾ omnes,
seruantes fidei legem nihilominus ipsi. finit.

Eximie antistes has accipe Dado salutes
conscriptas tristi a Salomone tibi.
sicut laetorum fueras pars ante meorum,
sic nunc tristitię pars pater esto meae.
5 gaudenti congaudere et cum flente dolere, ²⁾
scriptio quam dictat, Tarsigena ³⁾ imperitat.
tempore transacto damnum generale querendo
quaedam ⁴⁾ conscripsi p̄sul amande tibi.
obliqua ⁵⁾ dolui mundum uertigine ferri,
10 mixtim diuersa explicuique mala;
poscens consilium de te mi care malorum,
singula disserui, quę fuerant oneri.
casus multorum sed me nunc obsidet unum
et diuersorum me puto fasce premi.
15 dum frater uixit, quicquid me durius ursit
insinuans illi hoc leuius habui.
hic mihi portus erat, mens huc mea se referabat,
cum mare iactaret meque salum quateret.
hic baculus lasso, fuit hic medicamen et egro,
20 istich dum uiguit, nil mihi triste fuit.
esto iam fuerit, sed cum fuit ille subegit,
cum perpessus eram, nil patiens fueram.
quis dat aquam capiti, ⁶⁾ cui presto est causa dolendi,
cui plorare quidem multaque flere libet.
25 dicite, quīs lacrimis dolitum sit funus Abelis,
cum protoplasti hunc gemuere mori.
quos luctus Adam uel quam das Eua querelam,
cum qui plus placuit fratre necatus obit?

p. 316

¹⁾ conuertimus H. ²⁾ dolore H. ³⁾ Rom. 12, 15. ⁴⁾ quidem H. ⁵⁾ obliquo H. ⁶⁾ Ierem. 9, 1.

p. 317

amplius ¹⁾ ipse quidem defunctum ²⁾ lugeo fratrem,
30 nam uice suscipitis progeniem subolis.
Seth uobis ueniens ³⁾ fletus deteraserat omnes,
at semel amissus non uenit ille meus.
ipse Iacob luxit, ⁴⁾ quod Ioseph obisse putauit,
quamlibet undena stirpe cluat genitor.
35 ast mihi quis lacrimis est flenda ereptio fratris,
Beniamin ⁵⁾ nullus cui superest alius.
Rachel docta ⁶⁾ doce mea me contraria flere,
que consolantes spernere mesta soles.
eligo lege tua solamina sumere nulla,
40 hoc ululatu omnem continuare diem.
rex Dauid planxit, ⁷⁾ pulcher quia natus obiuit
seque insectantem flet genitor subolem.
hic nisi quod libuit numquam mihi funditus egit
et quamuis bini, mansimus unus homo.
45 que uolui uoluit, que non hec ipse reiecit,
quo mihi huic similis inueniendus erit?
si pater hunc flesti, qui sceptrum tollere regni
cum uita tibimet sepe ferox cupiit,
istum quo planctu, digne quo perstrepo luctu?
50 qui plane omne suum uoluit esse meum.
pro me sponte suam qui uellet ponere uitam
se morti tradens, me superesse uolens.
ut legitur literis, ⁸⁾ animalibus ⁹⁾ esse beatis,
si starent oculi ante retroque mihi,
55 tot non sufficerent, quantum mihi flere liberet,
quamlibet intra me flumen et esset aque.
Hieremie ¹⁰⁾ sancti me deploratio libri
corde tenus tangit, utque propheta gemit.
ecce querelosis sit fas mihi dicere uerbis,
60 dixit ut artatus Christe sophista tuus:
» De me magnificos tuleras sanctissime cunctos
et teris electos cum dicatione meos.
ipse ideo plorans lacrimarum duxero lymphas,
solator longe quod mihi factus abest.«
65 sum uir ego certe, qui iam contemplor abunde
cernens erumnam pauperiemque meam.
hic uolo quem scribit quemque ipse theologus addit

p. 318

¹⁾ Amplius H. ²⁾ defunctum H. ³⁾ Genes. 4, 25. ⁴⁾ Gen. 37, 34. ⁵⁾ Beniamin H. ⁶⁾ Matth. 2, 18. ⁷⁾ 2 Reg. 18, 33.
⁸⁾ Ezech. 1, 10. 18. ⁹⁾ animalibus H. ¹⁰⁾ Thren. 1, 15. 16.

ad me solandum ponere uersiculum.
o tua sancta satis domine est miseratio grandis,
70 quod non consumpti falce metente ¹⁾ sumus.
rethoris eximii sed fabor uoce Seueri, ²⁾
imperitare mihi quin doleam nequeo.
hec eadem posuit predictus famina scriptor
Martini sacrum commemorans obitum.
75 discipuli Paulum narrantur ³⁾ plangere uiuum,
ex his disiunctus cum petiit pelagus.
plangitur anne magis disiunctus uortice mortis,
qui pelagus petiit, quod homo ⁴⁾ non rediit?
qui reuocare ualet te, pro te Lazare deflet; ⁵⁾
80 ergone iure gemit, qui reuocare nequit?
turba beatorum Messie discipulorum
cum se predixit uadere, mesta fuit.
hec inquit dicens: ⁶⁾ scio uos existere tristes,
sed uobis multum proderit ire meum.
85 si sic discipuli Ihesu sunt mestificati,
cum sibi profuerat his quod ad alta meat,
cui multum periit, quod frater carus abiuit,
creditur his lacrimis posse carere genis?
iam solare pater me, te precor indigus, ⁷⁾ eger,
90 lassum ut sustentens, uox iubet alma ⁸⁾ tibi.
in sortem cecidit tibimet plaga climatis austri,
debes qui fugiet ⁹⁾ pane cibare tuo.
ad te confugio, pastum partire misello,
panis egestate ne moriatur. inops,
95 causa mihi restat, que aegrum ¹⁰⁾ cor turbine sanat,
funere fraterno qua releuabor ego,
illud cum memoro recolens, animequior ¹¹⁾ exto:
quod cum migrarat, pontifices aderant,
cum quibus ipse suum pertractans sepe recessum,
100 res discessuri ordinat ipse sibi.
in mundum ut uenit, sic nudus pene recessit,
qui pre se misit omne, quod hic habuit.
cumque diuturno coquerentur membra camino,
ultime uix tenuis huserat osse cutis.
105 tunc igitur ueterem deponens martyr hominem,

p. 319

p. 320

1) *Apoc.* 14, 15. 2) *Seuerus Aurelio*: ego non possum mihi imperare, quin doleam. 3) *Actus* 20, 37. 4) quo non *H.*
quod homo non *verb. Bergk.* 5) *Ioh.* 11, 35. 6) *Ioh.* 16, 6. 7) indignus *H.* indigus *Canis.* 8) *Isai.* 50, 4. 9) *1 Reg.* 30, 11.
10) *Nach* que fehlt ein Wort, *Bergk.* verm. aegrum. 11) cum recolens animequior *H.*

celo reddiderat, quod deus inde dabat.
hanc dixi causam mesti lenire querelam,
quam me fraternus cogit habere obitus.
insuper hoc certe quod patres constituere,
110 quos dominus iunxit, quando beatus iit.
denique commoti tractare pericula mundi,
casu quem cernunt cautius incipiunt.
tunc sanxere diem, fieret quę septima fratris,
omnes perficere cum precibus agapes.¹⁾
115 sic cum ueniret quę lux tricena maneret,
ritu consimili hanc statuere coli.
annuus utque diem circus reuocabit eundem,
rursus agunt precibus hoc pietatis opus.
presul cum reliquis et tu reminiscere fratris,
120 cui uiuens fedit, fesus et ille fuit.
pectore sincero nos temet amauimus ambo,
unice confisi extitimusque tibi.
ambo germani te poscimus auxiliari,
hoc mihi succurris, si memor eius eris.

Hic tibi scripturam presul subiungo legendam,
quidam suspirans qua mea damna gemat.
qui cum merorem ferret mihi plaga recentem,
primum condoluit cumque gemente strepit.
5 post hec humane proponens debita uite,
me sufferre monet, quę toleranda manent.
tu quoque sic facito, mihi par per utrumque maneto,
post fletum tandem me rogo fac hilarem.

VERSVS.

Planctu Rachelis²⁾ plebs mecum lugeat omnis
et uelut ob Ioseph³⁾ Israel ipse dolet.
in campo Magedon⁴⁾ fuerat ceu luctus Adremmon
Iosias migrat, sic modo flere iuuat.
5 conuenit ecce mihi cuiusdam⁵⁾ uoce profari,
cui dolor, anxietas, meror et intus erat:
*Carmina qui quondam studio florente peregi,
flebilis, heu, mestos cogor inire modos,*

1) 4) prece si agape H., precibus agapen verb. Canisius, agapes Wattenbach. 2) Ier. 31, 15. 3) Genes. 37, 34. 4) Zach. 12, 11.
2 Paral. 35, 22. 5) Boethii de consolat. philos. I. 1.

- ecce mihi lacere dictant scribenda Camene
 10 et ueris elegi fletibus ora rigant.
 quis rogo non luget? quis se plangore coercet?
 cum qui letitiam amplificauit abest?
 quis faciem placidam reminisci quiuerit illam,
 non lacrimas fundens, nonque dolore madens?
 15 nobilis, ingenuus, primas, mediocris, egenus
 luctu communi hunc flet ab orbe rapi.
 uera manent certe, quę scribit kanna poetę,
 qui cum perspexit acria mortis, ait: ¹⁾
Aspera conditio ²⁾ *et sors inreuocabilis hore,*
 20 *quam* ³⁾ *generi* ⁴⁾ *humano tristis origo tulit.* ⁵⁾
 cuius quod sequitur lauta ratione politum,
 ut relegas domine hęc libet inserere:
 ecce ⁶⁾ *hoc triste nefas nobis genuere parentes,*
 coeperat unde prius, ⁷⁾ *hinc ruit omne genus.*
 25 *primus Abel cecidit miserando uulnere cęsus*
ac fraterna sibi sarcula ⁸⁾ *membra fodent.*
post quoque Seth obiit sub Abel uice redditus isdem
et quamuis rediit non sine fine fuit.
quid Noe memorem laudatum uoce tonantis?
 30 *quem leuis* ⁹⁾ *arca tulit, nunc grauis arca premit.*
sic quoque Sem et Iafeth patrum ¹⁰⁾ *iustissima proles,*
sancta et progenies tale cucurrit iter.
quid patriarcham ¹¹⁾ *Abraham? uel Isaac Iacob quoque dignos?*
cum de lege necis nemo solutus adest.
 35 *Melchisedech etiam domini sacer ore sacerdos,*
Iob quoque seu ¹²⁾ *nati sic abiere sui.*
legifer ipse iacet Moyses Aaronque sacerdos
alloquioque ¹³⁾ *dei dignus amicus obit.*
successorque suus populi dux inclitus Ihesus,
 40 *quos legis libris occubuere patres.*
quid Gedeon, Samson uel quisquis in ordine iudex?
mortem sub domino iudice nemo fugit.
Israhelita potens David rex atque propheta
est situs in tumulo cum Salomone suo.
 45 *Esaias, Danihel, Samuhel Ionasque beatus*
uiuens sub pelago, stat modo pressus humo.

p. 322

p. 323

¹⁾ Venant. Fortunat. ad Chilperic. regem et Fredegund. regin. v. 1—2. ²⁾ condio H. ³⁾ quod Ven. ⁴⁾ genero H. ⁵⁾ dedit Ven. ⁶⁾ ecce—uita mori Ven. v. 11—44. ⁷⁾ pius H. ⁸⁾ sacula H. ⁹⁾ grauis H., leuis Ven. ¹⁰⁾ patrum Ven. fehlt in H. ¹¹⁾ patriarcha H. ¹²⁾ ceu Ven. ¹³⁾ alloquiisque Ven.

princeps claue Petrus, primus quoque dogmate Paulus,
quamuis celsę anime, corpora terra tegit.
semine ab humano cui nullus maior habetur,
50 *uir baptista potens ipse Iohannes obit.*
Enoch Eliasque hoc adhuc spectat uterque,
qui satus ex homine est et moriturus erit.
ipse creator ouans cito surgens Christus ab umbris,
hic quia natus homo, est carne sepultus humo.
55 *quis rogo non moritur mortem gustante salute?*
dum pro me uoluit hic mea uita mori?
ergo quid hinc facimus,¹⁾ quod declinare nequimus?
cum nihil auxilii possumus esse rei.
ploramus, gemimus, sed nec prodesse ualemus,
60 *luctus adest oculis, est neque fructus opis.*
uiscera torquentur, lacerantur corda tumultu,
sunt cari extincti, flendo²⁾ cadunt oculi.
ecce uocatur amor, nec iam reuocatur amator,
nos neque iam repetit, quem petra mersa tegit.
65 *ibimus³⁾ ergo omnes alia regione locandi,*
ibimus ad patriam, quos peregrina tenent.
ne cruciari⁴⁾ pater, casu laetaberis⁵⁾ isto,
non hunc flere decet, quem paradisos habet.⁶⁾
quod⁷⁾ iubet omnipotens, non possumus esse rebelles,
70 *forte deum contra est illius acta dolens.*
illius⁸⁾ ecce sumus figmentum et spiritus inde est,
cum iubet, hinc imus, qui sumus eius opus.
accipe solamen, quod scis spondere creantem:
in me qui credit, non morietur, ait.⁹⁾
75 *spondet adhuc etiam, nullus cui detrahat umquam:*
que duo deposcant, ut sibi danda sciant,
si duo de uobis uotis concordibus, aiens,¹⁰⁾
implorant aliquid, hoc pater ipse dabit.
si possunt rari domino prestante mereri,
80 *que precibus poscunt, quid numerosa queunt?*
turba sacerdotum, monachorum corpus inerme,
nonne cum uiduis, pauper inopsque phalanx,
clerus cum uulgo, uilis cum diuite summo,
cum maiore minor, cum puero senior

p. 324

¹⁾ ergo-tegit Ven. v. 53—60. ²⁾ flendo H. ³⁾ ibimus-cruciari Ven. v. 69—71. ⁴⁾ necruere H. ⁵⁾ ne casu laberis esto H., lacasu etaberis isto verm. Bergk. ⁶⁾ Ven. de Gelesuinta v. 370. ⁷⁾ Ven. ad Chilper. v. 75. ⁸⁾ illius-opus Ven. v. 79—80. ⁹⁾ Ioh. 8, 51. ¹⁰⁾ Matth. 18, 19.

- 85 commendant animam Ihesu cum questibus ipsam
fratris germani domne beate tui.

Rursus sancte pater tua me dilectio cogit,
scribere doctiloqui uerba perita uiri.

p. 325

Esto ¹⁾ *uirile decus patienter uince dolores;*
quod non uitatur uel toleretur onus.
talis erit populus, qualem te uiderit esse ²⁾
deque tua facie plebs sua uota metit.

- 5 *denique Iob natos septem uno triste sub ictu*
amittens laudes rettulit ore deo.

femina bis felix pia mater Machabeorum
natos septem uno funere leta tulit.

- David psalmigraphus cum natum* ³⁾ *amisit amatum,*
10 *mox tumulo posuit, prandia festa dedit.*
hec girata manu nec non percensita censu,
fors merore tuum domne leuant animum.

- Si uel nare quidem uel si uolitare ualerem,*
uenissem certe remex aut eripes ad te,
seu lymphis uectus, seu penniger aere ductus.
quesissem dominum, fuerit quocumque locorum,
5 *nec motus pelagi, nec me uiolentia uenti*
tardaret gressum sic sic celerare cupitum.
nunc uadant cedo, quis sunt naualia presto,
ipse domi sedeat, quem nulla stipendia ditant;
hi sectentur apros, ast hic stans retia seruet. ⁴⁾

» *O soror Euterpe responsa fidelia prebe,*
dona consilium, quid ob hoc mihi nunc sit agendum.
uellem letificum senioris cernere uultum,
si quod uota tenent, effectibus acta dedissent.

p. 326

- 5 *sed sonipes nullus nec adest mihi uilis asellus,*
quis ego pontificis deporter uisibus almis.

Musa

» *Eia age fige gradum, per litus uadito* ⁵⁾ *circum,*

¹⁾ *Esto-dedit Ven. ad Chilperic. v. 85—86, 97—104.* ²⁾ *uiderit omnis Ven.* ³⁾ *cunatum H. psalmographus genitum cum Ven.* ⁴⁾ *Verg. Ecl. III. 75.* ⁵⁾ *ualito H.*

si nequeas aliter, propera transire pedester.

est sacius plane nudis te gressibus ire,

10 quam uultu optato cassari tempore tanto.

aut tibi si placeat, germana Polymnia pergat,

que narret patri, quicquid mandaueris illi.

nam decet ut noris, quod te tegit ¹⁾ unica uestis,

qua tu ²⁾ contectus uestiris noctis ad usus.

15 hoc uetus induuium tibimet non sufficit unum,

quo fungaris iens pariterque intrinsecus essens;

idcirco certe reor illud honestius ³⁾ esse,

in claustro ut latites, quam nudus ad extera migres. «

Poeta » Ex his uirgo tace, habeo quia uestis abunde,

20 domnus, quem memoro, cultu me comit opimo;

sufficit omne mihi dum sospes uita sit illi.

panis hic et piscis, lac, mel, butyr atque legumen,

hic mihi uestitus, manet hic ceruista, lyeus,

hic medicina uigens, medicali et dogmate ⁴⁾ pollens

25 corpore depellit, quicquid languoris adesit. ⁵⁾

quid morer in multis, iste est mihi summa salutis,

cuius dante deo uitam munimine ducō. «

Musa » Prō cur nesciui, cur hęc non ante notasti,

si prius hęc scirem, si uelles pergere, nollem

30 atque aliud loquerer, quam dudum nescia farer.

noui nunc equidem, qua te ratione reformem.

debita narrasti, quibus es tu debitor illi,

suadeo nunc tibimet, quod fas et iura perurgent,

reddere coneris, quę te debere fateris.

35 uox mandat Pauli ⁶⁾ cunctis sua debita reddi,

seu uectigalis uel honoris siue timoris.

Giskalis hunc uicus testatur uera locutum,

at tu testeris, si uerum ⁷⁾ dicere noris. «

Poeta » Quo tendas monitu, iam nymp̄ha recolligo sensu,

40 iam satis agnosco, quę soluam debita domno.

aulam Christi intrans et iugia uota frequentans

assiduis precibus dependam dragmata census.

si non restituam minarum ⁸⁾ quam debeo summam,

attamen ut possum nitor limare talentum.

45 si nequeo factis, lucrō hoc conamine mentis.

psalmigraphus ⁹⁾ certe canit in se uota manere,

¹⁾ tetigit H. ²⁾ quantu H. ³⁾ honestius H. ⁴⁾ dogmata H. ⁵⁾ adhaesit. ⁶⁾ Rom. 13, 7. ⁷⁾ uera H. ⁸⁾ minarum H.
⁹⁾ Psal. 64, 2.

que domino reddat laudisque altaribus addat.

sic ego sic operis patuli cum reddar inanis,

intus adinuenio, manuum quo facta rependo.

50 quamquam sint operis quedam entque ¹⁾ laboris,

p. 328

que manibus fieri possint liquidoque uideri

ac ualeant uilem serui superare laborem.

cultro membranas ad libros presulis aptans,

pumice corrodo pellicue superflua tollo

55 et pressando premens ferrumque per aequora ducens,

linea signatur, cum regula recta tenetur. ²⁾

tunc quoque litterulis operam dans sepe legendis,

quod minus aut maius scriptor depinxit anhelus,

rado uel adiungo, placeant ut grammata domno, ³⁾

60 prospera cui uitae Galli da Christe fauore

Otmarique preces ⁴⁾ ad

pontifici, domino, pastori semper amando.

¹⁾ Nach quedam unleserliches Wort, dann laboris oder labores. ²⁾ Das letzte Wort ausgekratzt, tenetur Vermuthung.
³⁾ Die beiden letzten Worte unsicher. ⁴⁾ Von den folgenden Worten des Verses sind kaum einzelne Buchstaben kenntlich.